



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1845

DCCLXXII. König Woldemar von Dänemark verkauft dem Hochmeister des
Deutschen Ordens, behufs der Mitgift für seine dem Markgrafen Ludwig
von Brandenburg vermählte Schwester Margaretha, das Herzogthum ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56193](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56193)

neghesten Sonauende na deme hilghen Daghe der Bekeringhe funte Pawels des hilgen Apostels.

Nach dem im R. Provinzial-Archiv in Stettin befindlichen Originale aus einer vom R. Archivrathe Baron von Medem collationirten Abschrift. — Vgl. oben Nr. DCCLIX. S. 142.

DCCLXXII. König Woldemar von Dänemark verkauft dem Hochmeister des Deutschen Ordens, behufs der Mitgift für seine dem Markgrafen Ludwig von Brandenburg vermählte Schwester Margaretha, das Herzogthum Estland für 13000 Mark Silbers, am 21. Mai 1341.

Nos Woldemarus, Dei gratia Danorum Slauorumque Rex, Estonie Lalandieque Dux, nec non eadem gratia earundem terrarum Regina et Ducissa nostra conthoralis legitima, Heilwigis proprio nomine nominata, ad vniuersorum, tam presentium quam futurorum, noticiam cupimus peruenire, quod nos manu conjuncta pari consensu et vnanimi voluntate, nulla fraude inducti seu aliquo dolo circumuenti, pure et libere, de moturo fidelium nostrorum consilio et consensu diligenti et bona deliberatione prehabita, vendidimus et tradidimus, pro nobis et nostris successoribus et posteris vniuersis, religiosi viris in Cristo fratri Theodorico Burggraui de Aldenburg, magistro generali ordinis fratrum hospitalis beate marie domus Theutonicorum Iherosolimitane, ipsisque fratribus, pro se suisque posteris, iusto emptionis titulo ementibus et recipientibus, terras nostras Estoniam videlicet Haringen, Wyroniam et Altaken, castrum videlicet et ciuitatem Reualiensem, castrum et opidum Wefenberge, castrum et opidum Narwe in dictis terris constituta omnesque munitiones, que in terris predictis sunt, quocunque nomine censeantur, cum omnibus et singulis, que ad dictas terras ab antiquo tam in mari salso quam in aliis fluminibus, riuis, ripis et riulis pertinuerunt et nunc pertinent, nec non cum omnibus appendiciis, iuribus et pertinentiis, cum accessibus et egressibus suis, videlicet ciuitatibus, castris, villis, allodiis, campis, agris cultis et incultis, pratis, ortis, montibus, vallibus, planis, siluis, rubetis, desertis, viis, inuis, stagnis, aquis, aquarum decursibus, molendinis in aquis vel ad ventum expositis, jurisdictionibus, monetis, theoloneis, feodis, vassallatibus, militibus, clientibus, censitis, agricolis, seruatoribus, homagio quocunque vrbano, dextrariorum, rusticorum et curruum, que de consuetudine et iure inibi extiterunt, existunt et existere poterunt in futurum seu alio quouis titulo, censibus, redditibus, prouentibus, fructibus et generaliter cum omnibus et singulis vtilitatibus, que subtus, infra et supra terris habentur predictis, videlicet in mineris et metallis, auri et argenti, cupri, stanni, plumbi, ferri vel alterius cuiuscunque, vt lapidibus, sale vel aliis obuentionibus quibuscunque, cum omni iure, actione, vsu seu requisitione, siue ex eis vel pro eis rebus aut ipsis rebus seu ex qualibet earum rerum modo aliquo proueniente, ad habendas, tenendas et possidendas, regendas, vsufrueudas per eosdem magistrum et fratres successoresque eorum ac ordinem totum iure proprietatis ac domini perpetuo libere et quiete, et quicquid eis aut successoribus eorum deinceps pla-

cuerit in dictis terris perpetue faciendum, pro summa XIII milium marcarum puri argenti, quam pecuniam profiteamur presentibus, nos ab ipsis magistro et fratribus habuisse et recepisse ac nobis integre datam, solutam, numeratam et traditam fuisse, nec non in vtilitatem nostram et regni nostri specialiterque in dotem propter nuptias inclite domine Margarethe, sororis nostre dilecte, quam magnifico principi domino Ludewico, Marchioni Brandenburgensi, nuptui tradidimus et cum dicta dote matrimonium consumauimus, conuersam. Et licet cum vniuersitate rerum ius transeat patronatus, ne tamen in posterum aliquis successorum nostrorum occasionem vindicandi quicquam possit habere in terris predictis, ex quo totum dominium predictarum terrarum uendidimus magistro et fratribus predictis, omne jus patronatus, omnes collationes ecclesiarum, prebendarum, ecclesiasticorum iurium quorumcunque, volumus, prout juris est, ad eosdem magistrum et fratres successoresque eorum deinceps perpetuo pertinere et cum vniuersitate bonorum et domini transire, exceptioni nobis seu nomine sororis nostre predictae non numerati, non soluti, non traditi precii omnino renunciantes. Donamus insuper ipsis magistro et fratribus eorumque successoribus liberaliter ex certa scientia irreuocabiliter inter uiuos, quod res nunc valet plus pretii aut in futurum valebit. Ceterum promittimus bona fide, pro nobis, heredibus et successoribus nostris, hanc uenditionem sic prouide et rationabiliter ac iusto uenditionis titulo mature et solempniter celebratam nec non omnia et singula supra scripta antedictis magistro et fratribus suisque successoribus stipulantibus, perpetuo firma, rata et grata tenere et obseruare, nec vnquam contra facere uel uenire per nos vel per alios aliqua occasione vel causa aut ingenio, de iure vel de facto, publice vel occulte, in toto aliqua vel in parte: que omnia et singula volumus esse circumscripta. Renunciantes etiam pro nobis sponte, heredibus et successoribus nostris, titulo seu nomini predictarum terrarum, videlicet ducatus Estonie, quia sicuti re ita et nomine eisdem terris renunciamus, omnique auxilio iuris canonici seu ciuilibus, per quod nobis, heredibus et successoribus nostris, suffragium, dictisque magistro et fratribus et eorum successoribus preiudicium aliquod possit quomodolibet generari. In cuius rei testimonium et munimentum presentes literas nostro sigillo et de nostra presentia (scientia?), presentibus consiliariis nostris et testibus infra scriptis, iussimus sigillari. Testes vero sunt: Venerabilis Sveno Arufiensis ecclesie Episcopus, princeps noster carissimus, frater Egenchardus de Bortvelde cancellarius, Petrus Vendelbu, Offo Nickels, Heyno de Scharpenberge, Johannes de Pleffe, Benedictus de Aluelde, Fredericus de Lochen, marscalcus, milites, Hasso de Wedele dapifer, Gerekinus Wolff iudex curie illustris Ludewici Marchionis Brandenburgensis, famuli, Capitanei, consilarii et officiales nostri dilecti. Actum et datum Roskild, anno domini millesimo trecentesimo quadagesimo primo, feria secunda post festum ascensionis domini.

Nach einer Abschrift in Dregger's Handschr. Urkunden-Sammlung.